

De nova catheteris specie : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Th. Jos. Gerardus Willing.

Contributors

Willing, Theodor Joseph Gerard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g76vjak2>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
NOVA CATHETERIS SPECIE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. JANUarii A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET


AUCTOR
TH. JOS. GERARDUS WILLING
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

B. BRUENING, med. et chir. Dr.
F. STRAETER, med. et chir. Dr.
F. ELLENDORF, med. et chir. Dd.

ACCEDIT TABULA.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.



V I R O

CELEBERRIMO, HUMANISSIMO

DR. O. FISCHER

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Cel. Fischer, qui nunc res chirurgicas in nosocomio civili Agrippinensium dirigit, ex longo tempore catheterismo maxima cura operam dabat. Inter chirurgicas operationes in mortuis exercendas facilitatem saepius admirabatur, quae med. et chirurgiae studiosi itinerarium vetus non sulcatum, chalybeum et bene laevigatum per urethram in vesicam demitterent, dum, caeteris paribus, argenteum catheterem immittere conantes, infelicem haberent eventum; pondus, laevitas, manubrium instrumenti melioris successus erant causae: pondere suo in cavum illud incidebat quasi itinerarium, quod manus inhabilis, leviozem catheterem argenteum ducere coacta,

ob multa quae sibi ipsa parabat impedimenta reperire non poterat; laevitate urethrae plicas et ostia glandulosa transiliebat, manubrio tuto impediébatur, quo minus a plano corporis mediano aberraret. Quibus observationibus ductus, ut imperitis operationem faciliorem redderet, aegros vero non solum a doloribus sed etiam a periculis violenti catheterismi defenderet, instrumentum construxit, de cujus metallo, longitudine, crassitudine, forma, cavitate et usu nonnulla adferre mihi liceat.

§. I. De metallo.

Omnibus metallis chalybs maxime antecellit. Chalybs commendatur parvo pretio, levi tractatione technica, magna duritie et optima politione, qua quidem ferrum, cuprum, aurichalcum, adeo nobiliora metalla superat. Aurum enim, platina

et argentum, quamvis sint summa diligentia polita, tamen viscosa quadam mollitie laborant, qua non solum cuti, sed etiam membranae mucosae adhaerent, a peritis atque artificibus statim a caeteris metallis distinguuntur et ob ipsam illam naturam catheterismo, in quo urethra instrumentum aretissime amplectitur, infausta dici possunt. Pondere specifico, quod in instrumento componendo magni momenti est, chalybs a metallis nobilioribus et ab ipso cupro superatur, quod vero vitium obturator infra exponendus, qui instrumentum intrinsecus cavum explet, optime emendat. At fortasse quispiam dixerit, chalybem propterea rejiciendum, quod urina mox erosus laevitatem cum asperitate commutet; hoc vero facile refellendum: primum enim parietes catheteris chalybei interni exiguo sumptu inaurari possunt, quo facto urinae vi erodenti fortius et diutius resistunt quam argentum, nam illa tantum instrumenti pars, quae in vesica prominet, urinae vim suscipit, quare de hac modo minima parte catheteris dijudicandum est. Cel. Fischer

catheterem describendum clausum in vesicam viri, cujus urina acrimonia quadam laborabat, demisit et post horam illa pars, de qua agitur, minus quidem polita, sed prorsus glabra evasit. Ipse quoque instrumentum, postquam in mortuis adhibui, quorum vesicae urinam adhuc continebant, omnino glabrum et panno laneo frictum iterum etiam politum inveni. Accedit, quod jam experientia Cel. Klein, lithotomi insignis, probatum est, multo minores dolores ex usu itinerariorum chalybeorum moveri, quam argenteorum.

Novissimo tempore (ex auctoritate Cel. Fischer) Charrière Parisiis, opifex ille solers, eburneos confecit catheteres. Jam diu antea Jaeger Viennae ad stenochoriam ductus nasalis sanandam ebur praeparatum et aqua emollitum adhibuit, sed operatio et eboris praeparatio minus in cognitionem venerunt. Gallofrancus ille inventionem Germanicam in rem suam convertit ac talem promulgavit. Experimenta autem hisce eburneis instrumentis in clinico

chirurgico Bonnensi instituta, sic narrat Cel. Fischer, infausto fuere successu, nam tres foeminae, quibus ob operationem fistulae vesicovaginalis catheteres eburnei applicati sunt, post horam doloribus nulla alia re adductis cruciatae sunt, ut isti auferri deberent, et quod memoratu dignum, inter auferendi conatum catheter urethrae quasi agglutinatus videbatur nec nisi fortiore tractu educi potuit, cum contra aegrotae catheterem elasticum brevi post bene ferrent.

Unde dolor? unde extractio difficilis? Ebur est corpus valde hygroscopicum et majorem aquae copiam exigit ad mollitiem servandam, quam mucus urethrae praebet, exsiccatur igitur urethra.

§. II. De longitudine catheteris.

Celsus (1) jam admonet, medicum ad mares tres, ad feminas duos catheteres secum ducere debere, ut omni corpori ampliori minorique sufficiant. »E virilibus, inquit, maxima — scil.

(1) de medicina lib. VIII. cap. 26.

fistula aenea — decem et quinque est digitorum, media duodecim, minima novem.« Desault catheterem maximum pollicum decem et dimidii, Garengéot decem, Roux quindecim, Chelios undecim, Blasius undecim et dimidii esse optat. Quis autem omnium rectam et accommodatam instrumenti longitudinem indicet, quomodo haecce accuratius definiatur? Chirurghi multum ac diu in cathetere immittendo versati suadent, ut summum rostrum sex lineas ad pollicem usque in cavum vesicae promineat et pars posterior unum et dimidium ad pollices duos ex urethrae ostio cutaneo emineat; si ergo longitudini urethrae pollices tres adderes, accommodatam instrumenti longitudinem haberes. Quodsi quaerimus, quot urethra pollices metiatur, num anatomici et chirurgi nullum hac de re dubium relinquunt? Minime, nam autores tam diversas afferunt mensuras, quae ad catheterem ipsum neutquam transferri possint. Sic Malgaigne ait: (1) Beniqué urethrae longitudinem octo ad

(1) Nous avons démontré, que l'urètre de l'homme,

novem pollices aestimat; Bock partem prostaticam decem linearum ad pollicem, membranaceam octo linearum ad decem esse contendit, spongiosam inter pollices sex et septem variare ratus. Francogallis urethram metientibus Cel.

dans l'état de relachement de la verge varie entre 5 pouces 2 lignes et 6 pouces de longueur, la moyenne est de 5 pouces 9 lignes et une fois seulement nous l'avons vu arriver à 6 pouces, dans l'érection il peut acquérir probablement de 7 à 8 pouces. En relevant la verge en haut sans trop la tirailler, on amène une urètre de 5 pouces 9 lignes à 7 pouces, en tirillant à 8 pouces 10 lignes. Si on dépouille la verge de ses teguments, l'urètre acquiert sans aucun tiraillement 8 pouces 2 lignes, en enlevant la verge, l'urètre et la vessie à l'aide d'un tiraillement fort léger on obtient 12 pouces, et enfin, en isolant complètement l'urètre on irait aisément beaucoup plus loin.

Il résulte de ce premier fait une conséquence importante, c'est qu'une sonde n'a pas besoin de pénétrer à plus de 7 pouces et demi pour entrer dans la vessie, lorsque la verge est relevée, mais non tirillée, et que pour les sondes à demeure, quand on les fait entrer de la longueur de 7 pouces, il y a un pouce au moins de la sonde qui fait saillie dans la vessie — Malgaigne, Manuel de médecine opératoire. Art. Cathétérisme.

Fischer adstitit: cathetere demisso, vesicae fundum aperiebant, rostro instrumenti prominenti filum linteum alligabant et catheterem retrahentes una filum per urinae iter perductum educebant, dein, filo leniter tenso, spatium, quod inter cutaneum et vesicale ostium intererat, mensi, hunc esse veram urethrae longitudinem affirmabant non respicientes, partes molles filo tenso extendi et curvaturam urethrae mutari. Alia methodus, quam alii in canali isto metiendo adhibuere, in eo constat, quod catheter urethrae immittitur, donec urina incipit fluere; tum instrumentum sensim sensimque retrahitur, illoque ex momento, quo urinae fluxus desinit, instrumenti pars, quae inter summum foramen et ostium cutaneum penis continetur, veram urethrae longitudinem indicare dicitur. Haec autem methodus, quae ad vivum quoque transferri potest et propterea primae Francogallicae antecellere videtur, non magis rem ad liquidum perducit, quoniam partium neque tensio neque mutatio alia vitatur. Lon-

gitude itaque urethrae fere ignota, et quae hucusque factae sunt mentiones falsae habendae. Illa pars urethrae sola, quae inter ostium vesicale et ligamentum pubo-prostaticum continetur, maxime stabilis est, dum quae ab illo fine ad ostium cutaneum producitur, praecipue propter structuram et naturam penis, valde inconstans apparet.

Senum penis, ut exemplo utar, tantopere laxus et recellens est, ut in uno casu, quem Cel. Fischer observavit, ad decem pollices facili negotio extendi posset. Quam naturam penis et Roux cognoverat, haecce allegans (1). Quae cum ita sint, non intelligitur, quomodo idem vir clarissimus istam quaestionem propo-

(1) Chez eux — c'est à dire les vieillards aussi il arrive assez souvent, qu'une sonde d'une longueur suffisante pour un sujet adulte se trouve être trop courte, tellement, qu'après l'avoir enfoncée au point, que les anneaux du pavillon touchent le gland, on ne peut ni faire sortir l'urine, que la vessie peut contenir, ni explorer cet organe. Cf. Dictionnaire des sciences médic. Bruxelles 1830. Tome III. artic. cathétérisme.

nere potuerit: (1) dissolvitur autem illi haec quaestio sic: (2)

Quum igitur urethra virilis tanta sit varietate et inconstantia, certam de catheteris longitudine legem afferre non licuit; attamen ne illud, quod Roux designavit incommodum capiatur, instrumento $11\frac{1}{2}$ pollices sunt dati et hoc sufficere in ipsis senibus persuasum est, nisi penis praeter modum manibus profanis ducitur.

§. III. De catheteris crassitudine.

Inter omnes constat, catheterem crassiores, urinae itinere sano, omnino mollius demitti quam tenuiorem, quippe cum parietibus urethrae aequabilius extensis et plicae et ostia glandula-

(1) Serait — ce que, par l'effet de la distension de la vessie et de l'élevation de cet organe vers la région hypogastrique, l'urètre s'allonge? *ibid.*

(2) Que c'est surtout la flaccidité de ce canal d'autant plus grande, que nous sommes plus avancés en âge, qui le dispose chez les vieillards à un allongement plus considérable sous l'influence de cette cause. *ibid.*

rum membranae mucosae tutius evitentur. Quamobrem Desaulti (1) exemplo instrumentum in diametro $1\frac{1}{2}$ — 2 lineas crassum constructum est. Caeterum quisque intelligit, urethrae et infantili et virili morbo coarctatae tenuiora admovenda esse instrumenta, neque usquam quis probabit crudelitatem istam, qua Lausanniacus chirurgus, impedimenta opposita catheteri crasso, stanneo per vim superanda docens, octo urethras dilaceravit, auctore Cel. Fischer.

§. IV. De catheteris forma.

Amussat (2) rectum praefert catheterem, quippe qui, quod magni refert, inter demittendum digitis circumverti possit. Antea jam Lieu-

(1) Cf. Desault, chirurg. Werke. Th. 3. Dessen chir. Wahrnehmungen Bd. 2.

(2) a) Amussat dissert. du cathéterisme exercé avec la sonde droite. Strasb. 1825. b) Leçons de Mr. Amussat sur les retentions d'urine causées par les rétrécissements de l'urètre et sur les maladies de la glande prostate publiées par Mr. le doct. Petit. 1832. p. 56. Deutsch v. Lorch. Mainz 1833.

taud, Tenon et nostro saeculo Montagu et praecipue Gruithuisen introductionem catheteris recti commendarunt. Deschamps (1) Abulcasem isto instrumento jam usum esse existimat, quae quidem opinio e descriptione ipsa tam instrumenti quam ejus introductionis apud Arabem facillime refutatur. Sed catheterismus rectis instrumentis peractus urethrae decursui atque formae convenire non videtur: urethra enim non est canalis lineae modo rectae, sed curvaturis duabus instructa, quae non nisi majori minorive vi catheteris recti cedunt. Qua de causa instrumentum novum incurvari placuit. Qualis autem curvatura haecce esse debeat, exploratu difficile putandum.

Figura A. finem proponit instrumenti, quae quarta circiter est longitudinis pars, in cujus dimidio curvatio naturalis existit. Curvatio haec satis convenire visa est, sed hac de re acutius atque subtilius inquiratur. Varia est urethrae

(1) Traité de la taille. Paris 1796.

curvatura in adultis; ne dicam, quid morbi ad id valeant, pendet illa varietas et ab altitudine symphyseos et ab inclinatione et conformatione pelvis, nec non a forma perinaei ac aliis hucusque nondum indagatis rationibus. Quo jure Chelius (1) catheterem ita curvatum optet, ut illius pars anterior circuli segmentum efficiat, cujus diametros pollices sex circiter aequat, non liquet; fortasse Desaultio (2) auctore hanc emisit sententiam, qui inferiorem partem tertiam catheteris, secundum legem supra designatam, curvatam optat.

§. V. De catheteris cavitate.

Catheterum ad hunc usque diem usu receptorum excavatio cylindrica est, ambitum instrumenti externum, crassitudine parietum subtracta, adaequat, posteriore fine plerumque infundibuliformi, anteriore varie formata. Hujus

(1) Handb. der Chirurgie Bd. 2. Abth. I. Art. von dem Catheter und seiner Einführung.

(2) Oeuv. chirurg. de Désault. T. III.

vero excavationis orificium anterius, per quod, cathetere in vesicam demisso, urina extrorsum vehitur, summi momenti est et chirurgis multum erat circa illud sudoris. Quale in antiquissimis fuerit instrumentis, non satis in aperto est, cum cannularum Pompejis (1) effossarum, quarum usus adhuc in dubium vocatur, effigies tantopere inter se varient, ut hac de re certa afferre non liceat. Paraeus (2) rostri bulbacei parietes laterales foraminibus fere ovatis perforavit. Hil-
danus catheteres fine anteriori multis foraminibus parvis rotundis praeditos offert, quae scriptores Bellio (3) auctori vindicant. Sculte-

(1) Instrumenta illa e cupro confecta maximam partem recta inveniebantur, qua forma ipsa eorum usus praecipue in dubium vocatus est, attamen interea Lassus mentionem fecit unius instrumenti aliquantulum curvati. Cf. ejus méd. opérat. Tom. I. tab. III. fig. 1. 2.

Depicti etiam reperiuntur hi catheteres in »Froerich's Notizen aus dem Geb. der Natur- und Heilkunde« I. No. 26.

(2) Paraei opp. p. 484.

(3) Cf. Lehrbegriff der Wundarzneyk. II. tab. 2.

tus (1) rostri apici globulum ferruminando alligavit, ejusque partem convexam instruxit foraminibus ovatis, quae Desault, uti plerumque auditur, non invenit, sed apte ad latus instrumenti transtulit, parietes tribus fissuris aequae inter se distantibus subornans, quas vero ante operationem sebo explevit (2). Interim experientia docuit, omnibus hisce praeparationibus emendatis et cautelis adhibitis, semper tamen dolorem moveri, quum urethrae membrana mucosa, quae circa corpus alienum immissum vehementer contrahitur, instrumenti transeuntis foraminibus intrusa irritetur. Exinde chirurgorum studium catheterem introducendum commutandi in specillum integrum superficie integra. Petit (3) rostri apicem truncatum obstruere studuit globulo argenteo, qui filo ejusdem metalli finem catheteris excedenti alligatus, ad urinam educendam promoveri debet neque retrahi pot-

(1) Cf. ejus armamentarium tab. XIII. fig. 6.

(2) Oeuvres chirurgic. de Désault T. III. p. 118.

(3) Traité de maladies chirurgicales. Tom. II.

est; Desault ut jam dictum foramina sebo impleri jussit; Cazenave et Charrière novissimo tempore obturatores nimio artificio factos attulerunt. Cum autem non sit in animo, has res accuratius illustrare, unius tantum instrumenti mentionem faciam, quod apud Brambillium depictum forsitan Dris. la Chaud (1) vindicandum est. In hoc autem rostri apex vix perforatus clauditur globulo fili, quod e posteriore catheteris fine egreditur et instrumento in vesicam demisso retrahitur, ut lotium effluere possit. Cum vero foramen nimis parvum sit et filum non ita promoveri possit, ut rostri apex integer appareat, hoc emendatum in instrumento, cujus partes praecipuas proponam. Cel. Fischer catheteris sui summi rostrum ita perforari curavit, ut foraminis inde exorti diametros lineam unam et quadrantem longa sit, quo facto parietis externi ambitus, cujus diametros lineam

(1) Catheter Dris. la Chaud authentice depictus traditur in Mémoires de l'Académie de chir. T. III. tab. I. figur. 5.

unam et dimidiam metitur, foraminis circuitum supergredi oportebat. Foramen ipsum bacillo argenteo, cujus nodulus extremus rostri apicem quam accuratissime implet, obturatum est: ne autem obturator iste sponte recedat vel repellatur, bacillus hamuli recellentis manubrio inserti ope cum catheteris fine posteriore continetur. Quod quidem manubrium cordis formam referens, cum altera superficies convexam, altera concavam catheteris partem versus spectet et planum, quod a recta et curvata parte instrumenti circumscribitur, utrique superficiei perpendiculariter nitatur, tam latitudine quam pondere maxime idoneum videtur, quod directionem rostri indicet.

Propono hic finem bacilli argentei in fig. B., cujus nodulum vides in d. Figura C. est manubrium, e. g. hamulus recellens, qui in f. continetur et pressione in g. recellit.

§. VI. De catheteris immissione.

Celsus (1) hominem resupinum super subsellium aut lectum collocandum esse censet, et multi chirurgi hanc celsianam regulam, quam negligentius expressam summo jure vocamus, repetunt. Hic autem loca magni discriminis explanare mihi liceat, quae despecta chirurgis peritissimis operationem irritam reddiderunt, et quae in libris plerumque lectis non explicantur. Cel. Fischer ait verissime »aeger non solum re-
 »supinetur, sed etiam lecto cubet et prorsus
 »horizontali et duro, quo solum pelvis ita collocari potest, ut neque dextrorsum, neque sinistrorsum inclinetur et linea a spina anter.
 »sup. os. il. dext. ad sinistram ducta, planum-
 »que illud horizontale aequè inter se distent.
 »Haec autem sola non sufficiunt; oportet quoque aegri totum corpus quam maxime libratum
 »sit, ne planum medianum, quod non cum linea

(1) de medic. l. c.

»mediana commutetur, huc vel illuc vertatur, sed
 »lecto ipsi perpendiculare sit.« Quali cubitu
 urethra a loco suo non movetur, neque ullo
 modo tenditur, quod in catheterismo magni est
 momenti. Tum aeger crura versus femora et
 haecce versus abdomen ita flectat leviter, ut re-
 gio perinaealis tactu mollis sit, quo facto chi-
 rurgus ad pedem lecti accedens cubitum iterum
 oculis attentis examinet. Has regulas obser-
 vans catheterem sine ullo negotio saepius im-
 mittas, ubi alii frustra id [tentant aut certe dira
 perficiunt vehementia. Dein chirurgus a sini-
 stro latere colem ex artis regula comprehensum
 sustineat: manus sinistrae pronatae digitis ter-
 tio quartoque coles sex lineas post glandem ita
 urgeatur ut urethra versus commissuram digito-
 rum spectet, pollex et index ostium cutaneum
 denudantes praeputium retrahant et delabantur
 pollex ad quartum, index ad tertium digitum; si
 pollex atque index soli adhibentur, penis pro-
 pter lubricum praeputium plerumque elabitur.
 Tum rostrum catheteris tepefacti, oleo uncti et

uti solitum digitis manus dextrae contenti, urethrae orificio cutaneo immittitur, quo facto instrumentum ponderi suo permissum magnam itineris partem jam percurret, donec et plerumque in fine partis urethrae spongiosa causa quacunque inhibetur. Deinde chirurgus manubrium inspicieus, ea, quae forsitan accidit, declinatione emendata, instrumentum lineas nonnullas retractum e concava parte versus arcum ossium pubis caute tollit, et simulac rostri major mobilitas percepta est digitis, denuo illius ponderi permittit. Hac agendi ratione catheter tuto et jucunde in vesicae urinariae cavum quasi incidit, nam omni modo specillo chirurgico incurvato comparandus. Quam quidem comparisonem is quoque, qui instrumentum hujus generis apice quodammodo aspero praeditum vituperasset, concedere debet, secum reputans ambitum rostri et crassitudinem summum apicem et superare et prominnere, qua re urethrae parietes prius extenduntur quam apice illo tanguntur. Haec omnia non modo ratione, sed etiam usu cognita atque hanc

certam catheteris immittendi methodum sequens quisque et facilius et celerius, quam institutionem vulgarem chirurgorum observans, opus expediet.

W. Cooper docet et Chelius repetit catheterismum in tribus stadiis, ut dicunt, perficiendum esse: primo urethrae pars spongiosa, secundo membranacea, tertio prostatica instrumento permeatur. Tales leges viri praeclari ferunt, ubi methodum illam, quam Francogalli *le tour par dessus* — *le ventre* dicunt, explicare student. Haec quidem agendi ratio, quippe quae veritate anatomica fundata sit, plerisque placet, sed instrumento vix immisso res ipsa in magna versatur difficultate.

Quid enim nobis indicat, summum catheteris rostrum eo, ubi pars spongiosa in membranaceam abeat, adactum esse; quid transitum partis membranaceae in prostaticam extrinsecus ostendit? Atqui secunda methodus, quam Francogalli *le tour de maitre* vocant, et quae a multis scriptoribus rejicitur, rectius atque accuratius

nos de fine partis spongiosae certiores facit. Nam si catheter, parte convexa ad abdomen vergente, sensim sensimque urethrae immittitur, donec retinetur, persuasum habemus, rostrum in fine partis spongiosae versari.

Id autem admonere mihi liceat, instrumentum ad finem illum perductum non isto impetu in semicirculum contorquendum esse, sed leniter rostro summo locum non mutante sinistrorsum convertendum, donec instrumenti pars convexa ad raphen spectet, et deinde catheterem in membranaceam partem molliter introducendum. Chirurgus memor sit, ligam. puboprostaticum, quod hanc partem a spongiosa separat, fere horizontale planum formare, unde cognosci potest, qua directione instrumentum promoveri debeat. Alterum finem, ubi pars membranacea in prostaticam transit, saepius, sed non semper digito in anum aegri immisso detegere licet. Quae quidem encheiresis, jam Sculteto (1) nota et ma-

(1) Armament. chir. Francof. 1666.

xime a Boyer (1) commendata, quum marginem prostatae inferiorem per parietem anteriorem intestini recti explorare possimus, satis finem laudatum indicat, si glandula ista cum intestino recto sana est, sed plane nos deserit his organis morbo laborantibus. Equidem vero puto duo ista adjumenta tantum abesse, ut fines desideratos pro certo nobis significant, ut saepissime nos destituant. Quis est, qui nesciat, circulatores quosdam, quibus partes urethrae omnino ignotae, saepius catheterem in vesicam immis-
sisse, ubi chirurgi illustrissimi hanc operationem ad finem perducere non poterant. Quaerentibus, cur haec ignorantia experientiae antecelluerit, hoc responderim: isti iter urinae ipsis ignotum ad finem usque persequiebantur, quia cathetere specilli instar utentes occultum et in compertum reperire studebant; hi autem, urethrae imaginem memoria tenentes, instrumento motum praejudi-

(1) Abhandl. über die chir. Krankheiten und über die dabei angezeigten Operationen v. Baron v. Boyer, übersetzt v. Textor. Würzburg 1825 Bd. 9. S. 131.

catum imprimebant, cui canalis ob hanc vel illam causam cedere noluit. Causas vero tales, quae in operatione nostra summa afferunt impedimenta existere, neque ratione convenienter explicari posse neminem, qui saepius catheterismum instituit, latet. Quam ob rem agendi rationem supra expositam optimam habeo.

V I T A.

Ego Theodorus Josephus Gerardus Willing, catholicae fidei addictus, natus sum anno **MDCCCXIII.** die **VI.** m. Martii **Ahusii**, **Guestphalorum** oppido, patre **Gerardo Henrico**, quem praematura mors eripuit, matre **Gertruda** e gente **Vestring**, quam adhuc superstitem, sicuti patrem alterum **Henricum Dagehaus** veneror. Primis literarum elementis domi imbutus, gymnasium **Monasteriense** per sex annos frequentavi, quibus elapsis maturitatis testimonio instructus, academiam **Monasteriensem** autumnio anni **MDCCCXXXII.** adii et a t. t. rectore magnifico **Ill. Laymann** civium academicorum

numero adscriptus et apud Ill. Schlüter, t. t. decanum facultat. philos., nomen professus sum. Autumno anni sequentis almam Gryphiam petii Ill. Barkow rectore magnifico, Ill. Schömann decano facultat. philos., quibus rite nomen dedi. Post annum Monasterium redii et Ill. Esser rectore magnifico, a t. t. decano Ill. Kellermann numero theologiae catholicae studiosorum adscriptus per duos annos huic disciplinae operam dedi.

Omitto omnes scholas philosophicas, philologicas, theologicas, quibus interfui, enumerare, hasce modo praecipuas nominans: psychologiam, logicen, metaphysicen Ill. Esser, physicen Ill. Roling, chemiam Cel. Schmedding, zoologiam et zootomiam Cel. Becks.

Autumno anni h. s. XXXVI. Gryphiae almae iterum civis academicus rectore magnifico Ill. Hornschuch factus, apud Ill. Seifert, t. t. decanum ordinis medici, nomen dedi et ex hoc inde tempore me docuerunt: Ill. Schultze anatomiam tam theoreticam quam practicam, physiologiam, anatomiam comparatam; Cel. Laurer osteologiam, splanchnologiam; Ill. Seifert materiam medicam, pathologiam generalem, semioticen, artem fascias alligandi; Beat. Kneip

chirurgiam generalem et specialem, akiurgiam;
Ill. Berndt pathologiam et therapiam specia-
lem; Ill. Huenefeld chemiam, mineralogiam;
Ill. Hornschuch historiam naturae gene-
ralem.

Vere anni XXXVIII. reliqui Gryphiam et
aestatem insequentem ad littora maris baltici
haud procul a Regiomonto Borussorum otiosus
degi. Autumno dein a prorectore de Laen-
gerke inter cives academicos Regiomontanos
receptus et a decano Ill. Burdach medicinae
studiosis adscriptus sum. Regiomonti hisce in-
terfui lectionibus: Ill. Burdach de historia me-
dicinae; Cel. Burdach de anatomia patholo-
gica, de sectionibus cadaverum forensibus; Ill.
Seerig de ophthalmologia; Ill. Hayn de arte
obstetricia et theoretica et practica. Praeterea
scholam clinicam et policlinicam chirurgico-oph-
thalmiatricam duce Ill. Seerig; clinicam et po-
liclinicam medicam duce Ill. Sachs frequentavi.
Regiomonti etiam ex anno MDCCCXXXIX, ut
officio militari satisfacerem, in regio exercitu et
quidem in tertia equitum cataphractorum turma
per annum chirurgi munere sum functus, unde
Dri. Hasse, hujus turmae medicorum primario,
propter benevolentiam atque humanitatem erga

me semper observatam, gratias ago quam maximas. Vere anni h. s. XL. Berolinum adii et a rectore magnifico Ill. Twisten inter cives academicos receptus, apud Ill. Hecker, decanum maxime spectabilem, nomen rite professus sum. Per semestre frequentavi clinicam chirurgicam Ill. Dieffenbach.

Post hoc semestre rerum inopia pressus, iterum munus chirurgi militaris quaesivi atque in cohorte prima legionis XXVIII. Coloniae Agrippinae suscepi. Occasiones quam plurimas scientiae tam medicinae quam chirurgiae augendae et confirmandae in hacce urbe mihi prae-buerunt maxima liberalitate Doctores Nüchel et Fischer, cum in nosocomio civili Agrippinensium frequentationibus eorum clinicis adessem per tempus quod Coloniae vivebam. Etiam te, amice, Dr. Heimann, ut publice nominem pietas me movet.

Ex anno et dimidio munere assistentis fungor medico-chirurgici in morotrophio rhenano Siegburgensi, quod floret duce Dr. M. Jacobi, consiliario Regiminis Borussici rerum med. superiore, viro illustrissimo humanissimo, et medico secundario Dr. Richarz, viro optime de me merito.

Om nibus autem professoribus et doctoribus, qui me adjuverunt in discenda medicina, gratias ago maximas, gratoque animo ad cineres piam eorum servabo memoriam.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Morbus psychicus est morbus cerebri.
 2. Inter momenta prognostica in morbis psychicis praecipue numerandus status pupillarum.
 3. Omnes morbos curare licet.
 4. Remedia specifica non exstant.
-

